

Le texte ci-dessous reprend la plus grande partie du *LIBER CARMINUM* publié, avec d'autres oeuvres de l'auteur, par Giuseppe Comino, à Padoue, en 1739.

ALCON, SIVE DE CURA CANUM VENATICORUM

C_1 v.1 Assiduis nuper fessus venatibus Alcon,
 2 falleret aestivi ut fastidia longa diei,
 3 Corvini qua se nemora excelsissima caelo
 4 extollunt, viridi dum captat frigus in umbra,
 5 dicitur ad juvenem senior sic fatus Acastum :
 6 "Me segnes artus defectaque viribus aetas,
 7 et superare juga et latis discurrere campis
 8 et torquere leves hastas et ferre pharetram,
 9 nate, vetant, densasque indagine cingere silvas,
 10 sed te pulvereum cursu transmitters campum,
 11 ferre aestum frigusque, leves agitare Molossos,
 12 et pinguem silvis ad tecta avertere praedam
 13 nunc decet, ac validam pro me exercere juventam.
 14 En arcum pharetramque tibi jaculumque relinquo ;
 15 ne tamen usque adeo plenae confide pharetrae,
 16 ut postrema canum interea tibi cura putetur :
 17 quorum ope veloces poteris praevertere cervos,
 18 aut aprum ingentem, aut fulvum superare leonem.
 19 Ergo age, et haec tecum semper mandata reserva.
 20 Principio, ut generosa canum tibi copia numquam
 21 desit, quae certam valeat promittere praedam,
 22 elige degeneri nequaquam semine natos,
 23 sed quos assidue silvis exercuit altis
 24 et labor indomitus, saevarum et praeda ferarum.
 25 Nec vero parvi formamque genusque putaris ;
 26 nam neque sunt animi, neque mores omnibus iidem,
 27 et variae diversa canum dant semina gentes.
 28 Nam rabidas si forte feras te cura tenebit
 29 venari et variis caput objectare periculis,
 30 Spartana de stirpe tibi, de stirpe Molossa
 31 quaere canes : Libycos illis acresque Britannos
 32 Pannoniosque truces et amantes proelia Celtas
 33 adde, nec Hircanos, nec Seras sperne feroces.
 34 Si vero parvos lepores capreasque fugaces
 35 malueris, timidosque sequi per devia cervos,
 36 delige Paeonios agiles volucresque Sicambros.
 37 Quod tibi si latebras abstrusaque lustra ferarum
 38 rimari certa catulorum indagine cordi est,
 39 hunc usum implebit Perses et Saxogelonus.
 40 At genere ex omni praesertim delige quae nec

41 corpore sit gracili, nec densis aspera villis ;
42 sed sublime caput, vivacia lumina et amplam
43 ostendet frontem atque ingentes oris hiatus ;
44 cui rectae surgant aures, cui pingua terga
45 dividat in caudam descendens spina reflexam :
46 sint armi lati, sint aequae pectora lata,
47 lata alvus, quae sic costis adjungitur imis,
48 ut tamen in spatium sensim se colligat arctum ;
49 ut cava diductis succedant ilia costis,
50 excipiant siccis quas fortia crura lacertis ;
51 ima pedum parva signent vestigia planta.
52 Huic similem conjunge marem, quum vere tepenti
53 tangit amor genus omne avium, genus omne ferarum.
54 Bis quinos tamen ante dies accensus uterque
55 in venerem, venere abstineant : sic plena libido
56 acrius exstimulat viresque ad semina praebet.
57 Hinc major soboles atque inde valentior exit.
58 Quae simul ac se se numero protulit ortu,
59 selige de multis quos jam praestare videbis
60 pondere, vel stipulae flammis include sonoris
61 ingentem turbam : prolis nam mota periclo
62 egregiam sobolem melioraque pignora mater
63 ocus eripiet flammis et inertialinquet.
64 Illi igitur plenis ubi nondum viribus aetas
65 accessit, parvum cursu conscendere collem
66 et molli assuescant sese demittere clivo.
67 Hinc tenerum leporem, vel crura infirma trahentem
68 sectari capream et facilem percurrere campum
69 incipiat, verbisque viri parere vocantis.
70 Nulla mora est, ipsis crescant cum viribus anni.
71 Jam potes hos tuto densis committere silvis,
72 perque altos montes, per lustra agitare ferarum,
73 nec minus aut apro, aut fulvo objectare leoni ;
74 si modo vel capreas, vel dedignabere cervos.
75 Immodicis tum parce cibus, tum cursibus illos
76 exerce assiduis, ac mox ad tecta reverti,
77 vincla pati discant : ita demum libera colla,
78 quum res ipsa ususque vocat, majore feruntur
79 impete, nec cursum remoratur pigra sagina.
80 Hactenus in silvis catulos eduximus altis ;
81 nunc quae morborum sit cura adhibenda, docebo.
82 Insomnes quum forte canes occulta fatigat
83 vimque adimit febris, putrem tunc ore cruorem
84 ferro emitte levi ; dein bacchica dona rosarum
85 misce oleo et rapidis simul omnia concoque flammis,
86 terque die inserto demitte in guttura cornu.
87 Si vero nimio venandi langueat aestu,
88 butyro lapathi succos siculique Lyaei
89 pocula, contusumque piper simul omnia miscens
90 prosubige : ut certi simul ac commixta liquoris
91 praetulerint speciem, cupido canis hauriat ore.
92 Immodicam sed forte sitim dum sublevat atro
93 fonte canis, lymphae mala si successit hirudo,
94 cimiceo suffire canem nidore licebit,
95 aut oleo ptisanam et spumanti melle subactam
96 incoquere, offensoque cani praebere vorandam.

97 Aut quum taetra lues (clavos dixere) palatum
98 afficiet misere, silvestria sesama, nec non
99 Bacchi acidos latices et chartam sume perustam
100 atque ammoniaci frustum : dein singula in unum
101 confundens, taetrae causam superilline pestis.
102 Tum vero ardentes oculos inimica perurit
103 quum tabes crebraeque fluunt a lumine guttae,
104 jam frondes sacrae myrti, silvestris et uvae
105 arentesque rosas diluto concoque Baccho,
106 hisque affecta levi citus abluere lumina dextra ;
107 inde oleum atque ovi niveos immitte liquores.
108 Quod si nativo stimulatur coxa dolore,
109 Lemiulum lapidem (Meditem nomine dicunt)
110 urina semel atque iterum demerge recenti :
111 cui Bacchi dulces acidosque adjunge liquores,
112 quaque latet pestis, sumta circumline penna.
113 Ast ubi rupta novo manabit sanguine vena,
114 tum murem geminum ac telam pendentis Arachnes
115 ure foco, cineremque undanti impone cruori ;
116 proderit et ferro candenti tangere vulnus.
117 Obstructo vero lotii quum forte meatu
118 vexari aspicias catulum, cerealia dona
119 objice lacte prius simae perfusa capellae.
120 At contra venis si quando sanguis apertis,
121 pro facili urina, terram madefecerit atram,
122 conveniet lente ferventi lactis aheni
123 mollire et tenues coriandri immittere succos,
124 infractumque piper laticemque undantis olivi,
125 insertoque cani paulatim infundere cornu.
126 Quid ? taceam nimio quum decidit ungula cursu ?
127 Frangere namque juvat pallentis grana cumini
128 dentibus, admotaque pedem lenire saliva :
129 incipientque novi subcrescere protinus ungues.
130 Fit quoque ut immundo catulus juguletur ab oestro :
131 at tu silvestrem crepitantibus urere rutam
132 ignibus et fumo pariter mulcere salubri
133 disce, dehinc acri perfundere vulnus aceto.
134 Quin aures etiam muscarum turba molesta
135 impetit usque adeo, mutilatum appareat alte
136 ut caput, ipse autem venienti occurre periculo,
137 et prius has nucibus viridique putamine tinge.
138 Quid quum dura canes inter se proelia miscent,
139 alter ut alterius percussus dente laboret ?
140 Tunc etenim cervi flammae subjecta voraci
141 Ossa teres, oleo subigens frondentis olivae
142 unguinis in morem, ac vulnus letale perungens ;
143 quamquam etiam possis ramenta inducere ferri.
144 Namque venenifero serpentis saucius ictu,
145 quo valeat, scit sponte sua reperire salubre
146 gramen, et ipse sibi nullo auxiliante mederi.
147 Senserit at rabidos ubi morsus, protinus ipse
148 Idaeam rutae foliis acrique Lyaeo
149 junge picem, laesaeaque adhibe haec medicamina parti.
150 At mala quum scabies miseros depascitur artus
151 latrantum et foede miserabile corpus adurit,
152 cerussam abdomenque bovis resinamque tenacem

153 butyrumque recens viridantibus incoque sensim
 154 lentisci foliis, infectaque membra perunge.
 155 Sed tunc praecipue sollerti mente cavendum est,
 156 quum rabie accensus nunc hos, nunc impetit illos,
 157 ipsi infensus hero, datque insanabile vulnus.
 158 Ergo illum primo valida compesce catena ;
 159 inde rosae agrestis radicem pondere saxi
 160 contusam vivi fontis consperge liquore,
 161 ut potus speciem lino colata nigranti
 162 praeferat : hac sumpta, revocari ad pristina tradunt
 163 sensa canem ; ac posita rabie mitescere rursum.
 164 Sunt qui silvestres ficus adipemque vetustum
 165 contundant ; hederas alii ferventibus undis
 166 emollire jubent, donec pars una supersit
 167 e tribus, atque ipsis foliis tepidoque liquore
 168 pascere quadrupedem, Aurora surgente, furentem.
 169 Nil tandem usque adeo prodest ac prima sub ipsum
 170 principium morbi rescindere semina ferro.
 171 Nam qua parte imo conjungi lingua palato
 172 cernitur et fauces nativo concolor auro
 173 occupat, in rabiemque feros agit usque Molossos
 174 vulnificus vermis, suffunditque ora veneno.
 175 Quem si quis potuit ferro resecare, potentem
 176 is tanti abstulerit causam stimulumque furoris.
 177 Quae superant, olim : nunc praedam ad tecta jacentem
 178 ferre monet praesens fugientis temporis hora :
 179 quandoquidem calamos posuit Coridallus acutos,
 180 et jam sublustres invectat Luna tenebras."

IN OBITUM MARCI ANTONII TURRIANI VERONENSIS,
 AD IOHANNEM BAPTISTAM TURRIANUM FRATREM

C_2 v.1 Etsi egomet tanti casu percussus amici
 2 solamen nostris discuperem lacrimis,
 3 ne mea perpetuo manarent lumina fletu,
 4 pergeret aut tantus urere corda dolor,
 5 attamen, ut mi animi valuit concedere amaror,
 6 istaec maesta tibi carmina persolui :
 7 quo fortasse meis consolarere Camenis,
 8 si miseros quicumque Musa levare potest :
 9 ac ne tu in lacrimas paulatim totus abires,
 10 liquitur ut pluvio tacta pruina Noto.
 11 Quandoquidem cari fato te fratris acerbo est
 12 rumor in extrema vivere tristitia,
 13 nec jam posse quietis habere, aut commoda somni ;
 14 sed cedente die, sed redeunte queri :
 15 maerentemque, vagumque, et turpem fletibus ora
 16 amissum totis quaerere litoribus.
 17 Fertur ut Eridani ripas errasse per omnes
 18 anxia fraterno funere Lampetie.
 19 Septem quam perhibent somni sine munere noctes,
 20 jejunam septem continuasse dies.
 21 Et, quoties longo defessa errore viarum
 22 umbrosi in ripa concidit Eridani,
 23 "Reddite vos Phaetonta mihi, clamabat ad undas,

24 o quaecumque sub hoc flumine Nympha latet."
 25 Te tamen, ullius si cuiquam morte dolendum est
 26 justa quidem tanti causa doloris habet.
 27 Quandoquidem immatura morte tibi omnia frater
 28 commoda, teque ipsum perdidit, atque tuos :
 29 perdidit hei misero carus tibi frater ademptus,
 30 quo tibi non ullus carior alter erat.
 31 Ille amor, ille tuae solamen dulce juventae,
 32 ille tuae fuerat spes, columenque domus :
 33 quicum versari semper, quicum esse solebas,
 34 Atque animi arcana dicere consilia :
 35 unum mirari, atque unum praeponere cunctis :
 36 ambrosiae e cujus effluere ore lepos.
 37 O nimium miseri nos, et genus aerumnosum,
 38 deterius quorum est condicione nihil.
 39 In nos saevitum est bello, quo durius umquam
 40 vidit nulla aetas, nec feret ulla dies.
 41 Servitium tulimus crudele, et barbara jussa,
 42 parsque domos caras liquimus, et patriam.
 43 Reliquias, miserosque absumpsit tabida cives
 44 pestis, et huc illuc saevit Erinnyes adhuc.
 45 Nec sat erat ; miseri crudelia funera Cottae
 46 flevimus, indigna Cotta perempte nece,
 47 o Cotta infelix, quae te fata impia nobis
 48 tam subito ante tuos abripuere dies ?
 49 Jam neque finierant gemitus, et lumina siccis
 50 non bene cessarant tristia flere genis,
 51 quum tu, Marce, cadis, quam nos tot tristibus actos
 52 deseris, heu falsos credulitate tui.
 53 Non hoc vivida nos tua jam sperare juvena,
 54 hoc tua non virtus, non benefacta dabant,
 55 Exanimem ut nos te juvenem, nec jam ulla loquentem
 56 externa miseri contegeremus humo :
 57 sed fore, quem fama virtus aequaret Olympo,
 58 unus qui multos instrueres populos ;
 59 qualis ab aereo decurrens monte jugi fons
 60 communes multis sufficit unus aquas.
 61 Nam quid ego aut laudes memorem, aut tua maxima laudum
 62 praemia ? Quam humano profueris generi :
 63 aut quam saepe animas positas jam sedibus Orci
 64 ad sua Apollinea membra vocaris ope ?
 65 Vos testes, Ticine, et qui inter pascua laeta,
 66 Medoace, antiquos abluis Euganeos :
 67 illo quos fama est naturae arcana docente,
 68 saepe inter Nymphas obstupuisse suas :
 69 at nunc amisso turbatis flesse sub undis,
 70 inque mare assuetas non habuisse vias.
 71 Non tamen aut soli, nec vos magis omnibus, amnes,
 72 indoluistis acerbo illius interitu.
 73 Illum etiam Graiae et Nymphae flevere Latinae
 74 illum etiam Tuscis Calliopea modis.
 75 Quin etiam silvae, et montes gemuisse feruntur,
 76 et vos extremi flestis Hyperborei,
 77 sed mage Benacusque senex, et Sarca, sepulti
 78 qui prope vicinum praetereunt tumulum.
 79 Sed magis ipse Athesis, olim qui corpus humandam

80 condendum caram perferet in patriam,
81 ne extra cognatos cineres, Turriensiaque ossa
82 illum perpetuo terra aliena tegat.
83 Tunc vos o patrio prognatae Naiades amne,
84 spargite odoratis plena sepulcra rosis.
85 Tempus erit quum posteritas mirata nepotum,
86 quantum isti, dicent, ah tribuere dei !
87 Atque aliquis monumenta legens, et scripta jacentis,
88 devota ad mutosserta feret cineres.
89 Interea, o vos Benaco centum patre Nymphae,
90 Sarcaque ab Alpinis edite verticibus,
91 et vos o Naci rupes, et saxa Briani,
92 et nemora umbrosis densa cacuminibus,
93 ferte aliqua o nunc ferte meo solatia Batto,
94 et tantam ex animo demite tristitiam.
95 Quem neque sancta potest Sophie complexa levare,
96 Musa nec assuetis sedula carminibus.
97 Batte, tamen vates, longum ut quaesisset ademptam,
98 et longum flesset Thracius Eurydicen,
99 nullo solatus, blando quam carmine, curas,
100 nullo, quam Sophia, dicitur esse magis.
101 Illi, seu Rhodopes silvis erraret in altis,
102 sive in deserti Strymonis aggeribus,
103 semper Musa comes, semper pendebat eburna
104 ex humero numeris docta sonare lyra.
105 Ille orbem immensum semper spectabat, et orbis
106 ornatum, puris sidera luminibus,
107 et maria, et montes vastos, atque irrequieta
108 flumina, tum quicquid denique terra parit.
109 Quorum animadvertens certa sub lege tenorem,
110 paulatim caram senserat Eurydicen
111 deleri, et tristem mutari in gaudia mentem ;
112 tantum animos rerum forma levare potest.
113 Aspice lucentem Lunae Titanidis orbem,
114 et cum Sole suo quae super astra micant.
115 Omnia sunt aeterna, et vitae juncta perenni :
116 quae loca felices diique animaeque colunt.
117 Inferior Leti regio est, sedesque malorum,
118 in qua est quod felix intueare nihil.
119 Quippe solum hoc ventique, imbresque, et cuncta fatigant
120 quaecumque aera de regione cadunt.
121 Adde aestusque, hiemesque, et morborum genus omne
122 tum natura aliqua est indiga semper ope.
123 Nos porro desideriiis mala plurima nostris
124 junximus, o praeceps in sua damna genus !
125 Hinc odia, et timor, et lites, et bella cruenta,
126 et via non uni plurima aperta neci.
127 Attamen in tantis aerumnis est animi spes
128 unica, quem melior vita beare potest.
129 Quippe, ubi praefulgens ulla virtute reliquit
130 corporeum, sedes advolat aetherias,
131 semideumque domos, et divum morte carentum,
132 hic ubi non aestas, nec fera saevit hiems ;
133 nec dolor, aut desideria infelicia nostri,
134 nec sors partem aliquam, nec rude vulgus habet ;
135 at sancti heroes habitant, gens incllyta bello,

136 ingenuique, novem qui coluere deas :
 137 quique pii, justique, deam praecepta secuti,
 138 et sancta insignes qui fuerunt Sophia.
 139 Quos inter tuus ipse recens a funere frater
 140 miratur caelum, caelicolumque domos,
 141 aeternamque diem, et felicem ex ordine gentem ;
 142 inter quos gaudet se quoque dinumerans.
 143 Quem circum illustres animae, Proavique, Paterque
 144 intentos oculos ore nepotis habent,
 145 et pulchram effigiem agnoscunt ; miratur et ipse
 146 egregiam stirpem, magnanimumque genus ;
 147 agnoscitque suos, et facta et nomina discit :
 148 tum quantum sit adhuc terra habitanda tibi.
 149 O fortunatum nimium, tristem ante senectam
 150 carpere iter caeli cui potuisse datum est !
 151 Quas syrtes, quos et scopulos post terga relinquis,
 152 Marce ! Tibi a quanto est salva carina mari !
 153 Fortunate iterum : tu non incommoda vitae
 154 passus adhuc, non quae plurima habet senium :
 155 sed dulces inter Musas, et Apollinis artes
 156 fortunata nimis vita peracta tibi est.
 157 I, decus Ausoniae juvenis, numeroque deorum
 158 Te immisce ; culta est jam tibi terra satis.
 159 Illa tuum, dum sidera erunt, dum flumina current,
 160 nomen in astra memor, et benefacta feret.

AD JOANNEM BAPTISTAM TURRIANUM VERONENSEM,
 IN OBITUM PAULI ET JULII, IPSIUS FRASCATORII FILIORUM.

C_3 v.1 Batte, animos quando tristes, curasque levare
 2 Musa potest, ego nunc fortem, casusque supremos
 3 ipse meos tristi solabor carmine tecum.
 4 Et tecum dulces natos, quos funus acerbum
 5 abstulit, aeterna et pariter caligine texit,
 6 conquerar : ut saltem tenebris, et nocte perenni,
 7 quantum opis est nostrae, miserorum nomina demam.
 8 Quae potui, dum vita illos auraeque fovebant,
 9 exhibui genitorque, gubernatorque duorum
 10 infelix, primas alter vix fingere voces,
 11 alter adhuc teneris jam tum decerpere ab annis
 12 prima rudimenta, atque omen praebere parenti.
 13 Quos ego (sed Zephyri spes portavere paternas)
 14 censueram, si fata darent, quum posceret aetas
 15 fortior, ad dulces tecum traducere Musas
 16 assiduos, citharamque humeris suspendere eburnam.
 17 Inde, ubi jam caelum, ad Solem, fulgentiaque astra,
 18 terramque, et liquidos ignes, aequorque profundum
 19 mirari inciperent, latisque animalia campis,
 20 te monstrante viam, te rerum arcana docente,
 21 mens fuerat dulces Sophiae deducere ad hortos,
 22 hortos quos ver perpetuum, quos aura Favonii
 23 semper alit, semper caelesti nectare pascit.
 24 Hic tremulo, et longa confecto aetate parenti
 25 purpureos legerent flores ; seniique levamen,
 26 Threicia canerent cithara, quae plurima quondam

27 audissent te populea meditante sub umbra,
28 divino mirantem Athesim dum carmine mulces,
29 et rerum canis, et teneri primordia mundi.
30 Fortunate senex, si natorum ore referri
31 fata sinant, ut nata chaos antiquissima rerum
32 materies visi correpta cupidine pulchri
33 arserit, atque deum thalamo complexa, jugarit
34 corpora prima : quibus Discordia nata hymenaeis ;
35 et divisa locis, suprema petiverit ignis
36 purior, et nitidis vicinus sederit astris,
37 quem juxta per inane amplum se fuderit aer ;
38 ima autem tellus vasto circum obruta ponto
39 constiterit : quamdudum hinc inde agitantibus undis
40 substerni late campi, deformiaque arva
41 paulatim apparere supra, et concrecere montes
42 coeperunt, procul et nudas ostendere cautes,
43 mox nemora, et virides undis mirantibus ornos.
44 Montanis tunc speluncis, et rupibus altis
45 exsiluere udae formoso corpore Nymphae,
46 in viridi flavos siccantes litore crines.
47 O fortunatum nimium, si numina tantum
48 haec mihi servassent, si non casura dedissent.
49 Verum aliter Lachesi visum est, quo tempore primum
50 natorum coepit producere fila duorum.
51 Quippe auram miseris, et dulcem noscere vitam,
52 spemque sui dederat praebere : alia omnia ventis
53 tradita, nocte atra et tenebris involverat Orci.
54 Non licuit firmos annis, viridesque juvena
55 inspicere, et carae ad metam deducere vitae.
56 Nec potui votis, nec ope adjuvisse paterna
57 clamantes, frustra patris suprema petentes
58 auxilia, et nota nequicquam voce vocantes.
59 Heu mortem invisam : quis te mihi, Paulle, deorum
60 arripit, et miserum complexibus abstrahit istis ?
61 Tu prior immiti correptus morte, parentem
62 deseris, et dulces auras, et lumina linquis.
63 Quod te si tali dederant sub lege futurum
64 fata mihi, non jam fuerat maeroris abunde ?
65 Non gemitus ? Quid me e tam multis patribus unum,
66 Caelicolae, lacrimisque novis, et morte recenti
67 opprimitis, caroque etiam spoliatis Iulo ?
68 Heu, miserande puer, quanto plena omnia luctu
69 liquisti abscedens ! Quem non vesana deorum
70 incusavit inops, quum te complexa jacentem
71 aspiceret laniata comas et pectora mater ?
72 Ah misera, ah male fausta parens, quid numina fletu
73 sollicitas ? Jacet ille, velut succisus aratro
74 flos tener, et frustra non audit tanta gementem.
75 Ah misera, ah quid sublatum complexa moraris ?
76 Ille tuus non jam est. Vos illam in funere, matres,
77 collapsam accipite, exanimemque reponite tectis.
78 At vos, insontes animae, carissima nuper
79 pignora (quod misero superest optare parenti)
80 semper avete mei, ut licuit, semperque valete.
81 Seu dulce Elysium functos, umbraeque tenebunt
82 sanctorum nemorum, puro seu sidera caelo,

83 ipse ego vos semper lacrimis, vos carmine tristi
 84 prosequare, et vestris persolvam justa sepulchris ;
 85 dones me vobis tenuem conjunxerit umbram
 86 summa dies, natis aequat quae sola parentes.
 87 Interea curas numeris, Musaque levemus,
 88 Batte, animos : quando rerum mortalis origo est,
 89 quando etiam vitae norunt vasta aequora finem.
 90 Scilicet et quondam veniet labentibus annis
 91 illa dies quum jam curvo sub vomere taurus
 92 desudet, terramque gravis proscindat arator,
 93 nunc ubi caeruleae rostris spumantibus undae
 94 sulcantur, verruntque citae freta longa carinae.
 95 Nec vos, o liquidi fontes, aeterna manebunt
 96 saecula, se tanto quamvis pater efferat amne
 97 Eridanus, tumidusque fluat tot cornibus Hister.
 98 Quin etiam aerii montes (mirabile dictu !)
 99 Taygetus, Syphilusque, jugo et Cymbotus opaco
 100 innumeras post aetates, ac saecula longa,
 101 senserunt seniumque suum, supremaque fata :
 102 ex quo Materies thalamos, primosque hymanaeos,
 103 atque elementa novus sensit discordia mundus.

AD DANIELEM RHAINERIUM VERONAE PRAEFECTUM, SENATOREM AMPLISSIMUM.

C_4 v.1 Rhaineri venerande, uno quo sospite, nondum
 2 justitia, et virtus terris antiqua recessit,
 3 multa quidem monumenta tuis sub fascibus urbis,
 4 multa cadunt antiqua piorum et templa deorum,
 5 et Bromii vites, et amicae Pacis olivae.
 6 Verum haec ex urbis re dilabuntur, et ipsi
 7 ultro etiam sua recta volunt procumbere divi.
 8 Ah, saltem antiquo medicorum parcere ritu
 9 fasque, et suetus amor pietatis, et inclyta virtus
 10 Magna tui valeant. Valeant hoc more vetusto,
 11 quo nostri vixere atavi, vixere parentes,
 12 Te duce venturi longum superare nepotes.
 13 Sanctior hic templis, hic divam est sanctior aris,
 14 quem neque tempus edax potuit, nec secula tot jam,
 15 non belli rabies, non ipsum infringere ferrum :
 16 tantum est justitiam violari, et foedera rumpi !
 17 Scilicet et sacra est medicina, vetusque deorum
 18 inventum, et sacri medici, quibus auctor Apollo :
 19 qui revocare animas jam caligantibus Orci
 20 faucibus impositas ad carae munera vitae,
 21 aetheriosque haustus, et dulcia lumina possunt :
 22 qui genus innocuum, vitaeque ad publica nati
 23 commoda, divinas tantum didicere per artes
 24 exercere aevum, atque humanae praeesse saluti.
 25 Hos aequum est te praecipue, longeque tueri,
 26 Rhaineri, ante alios, idem cui cessit Apollo
 27 ipse suas artes, et munera nobilis otii :
 28 quemque domos divum docuit, perque omnia duxit
 29 sidera : quem Graio insignem Latioque cothurno
 30 secretas dedit Aonidum percurrere silvas,
 31 et calamos, citharamque humeris suspendit eburnam.

32 Idem te dulces Sophiae deduxit ad hortos,
 33 hortos quos ver perpetuum, quos aura Favonii
 34 semper alit, semper caelesti nectare pascit.
 35 Salve, magne parens, qui tot virtutibus auctus
 36 Urbem justitia, et divis in pace secundis
 37 egregiam moderare, Athesis qua flumine pulchro
 38 labitur, et placido secat arva virentia cursu.
 39 Tu quoque, magna virum genitrix, urbs incllyta, salve,
 40 cura deum, Verona : tui cessere labores,
 41 aerumnaeque graves, atque horrida Martis imago,
 42 sanguinis et vesana sitis, et tristis Erinnyes.
 43 Barbara jam cessit rabies, et in Alpibus atrox
 44 saevitiam miles, gelidamque exercet ad Albim.
 45 Jam duros nimium servitus, et fera jussa
 46 desuemus perferre, ullos non jam urbe tyrannos
 47 conspicimus, sed te, Rhaineri maxime, sed te,
 48 Magne pater, uno tandem quo sospite, nobis
 49 jam bona Libertas rediit, Pacemque per agros
 50 laeta Ceres, Bacchique chorus comitantur ovantes.
 51 Gaudete o quicumque boni speratis agrestes,
 52 quorum amor est sobolis, studiumque nepotibus arva
 53 incolere, et parvas ulmis attollere vites.
 54 Tempus io, nunc tempus adest quo secula Parcae
 55 Aurea nent, tandem quae nunc te praeside laeta
 56 incipiunt : sed erunt nobis tunc maxima quum te
 57 insignem sceptro Venetum, sanctaque tiara
 58 regna salutabunt terris diffusa, tuumque,
 59 qua Sol exoriens visit, qua deserit orbem
 60 occiduus, late clarum feret Hadria nomen.

AD JOANNEM MATTHAEUM GIBERTUM, EPISCOPUM VERONENSEM.

C_5 v.1 Ille tuus, Giberte, sacras qui in montibus aras
 2 Melsineis tibi constituit, qui teque, tuumque
 3 per nemus omne canit, perque omnia litora nomen,
 4 haec enata suis mittit tibi poma sub hortis
 5 aurea, quae quondam Medorum et finibus Atlas
 6 transtulit, et magno servabat tuta dracone ;
 7 mox victor sacra exspoliens pomaria Perseus,
 8 dum levibus nostrum talaribus aera tranat,
 9 donavit Charitae Benaci ad flumina Nymphae.
 10 Insuper hos, Giberte, tibi dat munera pisces,
 11 qui quondam Etrusci nautae, nostraque fuere
 12 effigie, nunc Benaci sub gurgite nantes
 13 caerulea converrunt sinuatis aequora caudis.
 14 Quod si forte juvat tanti miracula facti,
 15 atque hominum quondam versas audire figuras,
 16 ipse edam, Saloi quae quondam ad litora Battus,
 17 Battus amor Dryadum cecinit, mihi retulit Aegon.
 18 Forte senex Cretae patriis Saturnus ab oris
 19 ab Jove depulsus, regnum sedesque quietas
 20 quaerebat Latio in magno, fataliaque arva ;
 21 jamque diem medio Sol inclinabat ab axe,
 22 quum fessus, longaue via siccatus et aestu,
 23 ad vada Benaci viridi prospectat in herba

24 vescentes nautas, et puri grandia Bacchi
 25 pocula miscentes ; placido quos ore salutans :
 26 "Ecquis, ait, vestrum, pueri, succurrit egenti,
 27 defessoque seni ? Quis pocula parva ministrat,
 28 exstinguitque sitim ? " Poscenti illudere nautae,
 29 et ridere senem : quis enim praesentibus undis
 30 possit habere sitim ? En flumine largius illo
 31 ebiberis, gelidaque aestum solabere lympa.
 32 Illusus deus immissis in flumina palmis
 33 haurit aquas, pronusque bibit : tum versus ad illos :
 34 "Quo tamen e pretio, pueri, ducetis ad illas
 35 remigio cautes, quae fluctibus undique circum
 36 clauduntur, mediisque jacet parva insula in undis,"
 37 ostenditque locum, "pretium gens impia iniquum
 38 postulat". At pactus senior tamen omnia firmat,
 39 adjuratque deos testes, scanditque phaselum.
 40 Illi autem, dum nave cita liquida aequora sulcant,
 41 ignari, quisnam sedeat deus : " Eia age nobis
 42 fare, senex, quonam latebras pro crimine quaeris ?
 43 Anne fugam subrepto auro, dominoque relicto
 44 in loca tuta paras ? Sed te tua fata sequuntur,
 45 demens, quem nullae poterunt servare latebrae."
 46 Nomine Carpus erat, qui tam temeraria verba
 47 dixerat. Ingeminant comites, aurumque reposcunt,
 48 proferri subreptum aurum ; ni proferat, omne
 49 vi rapiant, pulsumque rate in media aequora turbent.
 50 Quos placidus dictis senior demulcet amicis :
 51 "Etrusci nautae, quae nunc mans impia suadet
 52 nec servare fidem vos, nec meminisse deorum ? "
 53 Dicenti jam vis, jam dextra infertur. At ille,
 54 qui tandem agnosci posset deus : "Impia, dixit,
 55 gens inimica deum, dabitur, quod poscitis, aurum :
 56 hoc imo sub fonte aurum pascetis avari."
 57 Dixerat. Ast illis veniam poscentibus et vox
 58 deficit, et jam se cernunt mutescere, et ora
 59 in rictum late patulum producta dehiscunt :
 60 in pinnas abiere manus, vestisque rigescit
 61 in squammas, caudamque pedes sinuantur in imam.
 62 Qui fuerat subita obductus formidine, mansit
 63 pallidus ore color ; quamquam livoris iniqui
 64 indicium suffusa nigris sint corpora guttis.
 65 Carpus aquas, primus numen qui laesit, in amplas
 66 se primus dedit, et fundo sub condidit imo.
 67 Inde alii celeri sese in media aequora saltu
 68 praecepitant, vacuumque ratem, et sine remige linqunt.
 69 Jamque deus super unus erat ; subit ipse magistri
 70 munus, et adductis pelagi petit ultima ripis.
 71 Expositus ripa placidas conversus in undas :
 72 "Ecquid io, Nymphae Benacides, ista supersit
 73 navis, et hunc amnem sacrum male fausta carina,
 74 et vestras sulcabit aquas ? En certe ita et hujus
 75 criminis hoc scopulo semper monumenta manebunt."
 76 Dixit, et in partem rupis conversa pependit
 77 cum remis ratis ipsa suis, ubi cernere conchas
 78 nunc etiam licet, externo quas litore nautae
 79 collectas miseri media imposuere carina.

80 Ex illo nunc Benaci per litora nantes,
 81 atque auri venas fundo pascuntur in imo,
 82 nunc etiam a primo retinentes nomina Carpo.

AD MARGARTAM VALESIAM NAVARRAE REGINAM : CAESARIS FREGOSII NOMINE.

C_6 v.1 Dum me Cenomanos inter tenet Itala tellus
 2 Zefredique arces, mens autem nescia claudi
 3 libera trans gelidas Alpes Rhodanumque vagatur,
 4 trans Ararim, caelumque beatum et Gallica semper
 5 regna videt, Regemque suum, tecumque moratur
 6 assidue, versatque tuas sub pectore laudes ;
 7 ecce mihi caelata auro gemmaque nitenti
 8 armipotens, galeaque ferox et Gorgone Pallas
 9 oblata est, seu fors tulerit, seu fata dedere.
 10 Continuo visa ante oculos effulgere imago.
 11 Magna tui, inque ipsa micuerunt Pallade vultus
 12 virtutesque tuae, moresque, et facta, decusque.
 13 Quippe illam e cunctis sic tu mortalibus una
 14 assimilas, sic una refers, in Pallade ut et tu
 15 noscare, et Pallas in te. Sive illa Minerva,
 16 seu dici Bellona velit, consensus utrimque
 17 est idem, ora, animi genius, cognataque virtus.
 18 Jure igitur tibi debetur, tibi convenit uni
 19 gemma, aurum, effigiesque deae ; sive est Polycleti,
 20 sive Myronis opus, placeat tibi munus : imago
 21 est tua ; sit gratus cum munere muneris auctor.
 22 Quod si digressus paulum, et provectus amore
 23 Pierio, dum me dulces per grandia Musae
 24 facta tua, et dum per monumenta heroica ducunt,
 25 ipse tuas memorem laudes, quibus aethera ad altum
 26 scandis, et illa simul referam per quae una Minervam
 27 usque adeo assimilas, juvet auscultare canentem,
 28 si vacat, et solitae sunt te oblectare Camenae.
 29 Illa parente deo Jove magno, fratre superbit
 30 Gradivo. Tum forte acres in bella phalanges
 31 si quando exacuit, late timor occupat urbes,
 32 turbari tremuere hostes, ac terga dedere.
 33 Ipsa hastam quatit, atque horrenti Gorgone saevit.
 34 Ante deam dirae effigies, Terrorque, Minaeque
 35 sanguineae, et dans terga Pavor, Visque impia, et Irae,
 36 Vinclaque, Vindictaeque adstant, et Mortis imago.
 37 At vero positis armis, atque aegide dira,
 38 mollius humanas si demittatur ad artes,
 39 mansuetosque usus, tum dulcia carmina cantat,
 40 et facilem exercet Musam, aut heroica gesta
 41 describit, numerisque orbes metitur et astra.
 42 Sin autem imperiis et majestatis honore
 43 gaudeat, aeternae ramis insignis olivae
 44 aut justas sancit leges, aut jura ministrat,
 45 aut arces struit, aut medias regina per urbes
 46 incedit, matresque super longe eminent omnes :
 47 condensi agglomerant altis clamoribus Afri,
 48 spectatumque ruunt, arasque et publica ponunt
 49 templa deae ; plausu resonat Tritonia ripa.

50 Tu pariter magno Gallorum rege deoque,
 51 ac jove nata simul, germano Marte superbis.
 52 Nam Martem quisnam esse neget, seu fortia nudus
 53 brachia, praevalidosque artus, atqua herculis armos
 54 ostendit, taurumque uno prostraverit ictu ;
 55 sive acrem, pictisque armis spectandus et auro,
 56 pressit equum, struxitve acies, et victor in hostes,
 57 ceu torrens, signa atque viros sternitque fugatque ;
 58 fulmineove Jovis tonitrus imitatus et arma
 59 tormento, muros et magnas diruit urbes ?
 60 Te quoque tantorum comitem, partemque secundam
 61 bellorum, si quando acies atque arma movenda
 62 percussae tremuere urbes, horrorque, pavorque
 63 it campis, Mars germanam comitatur ovantem ;
 64 attoniti spectant populi, gaudentque tueri
 65 nunc primum, nunc et medium, nunc agmen obire
 66 postremum, nunc pellere equum, nunc tendere in hostem,
 67 turbantem cuneos, et abactis agmina signis.
 68 Assistunt comites circum Solertia, et Astus,
 69 et magna audentes Animi, et Tolerantia dura,
 70 Curaque, Sedulitasque vigil, Spesque alta, Laborque,
 71 et divum Favor, et ventis Fortunasecundis ;
 72 pone sequens magno graditur Victoria plausu.
 73 Nec minus horrenti a bello, partisque triumphis
 74 si juvat ingenii, pacisque incumbere in artes,
 75 nunc lauro redimita comas, imitata sorores
 76 Castalias, plectis numeros, et carmina dictas,
 77 carmina nec rerum fato subjecta, nec aevo ;
 78 nunc magnos dimensa orbes in templa deorum
 79 attollis animos, patrioque assuescis Olympo.
 80 Nunc tua describis vel regum gesta tuorum,
 81 aut eadem depingis acu. Stant curribus altis
 82 et pater, et proavus, cunctique ex ordine reges,
 83 captivosque hostes, et vinctos colla tyrannos
 84 ante rotas longis ducunt in templa triumphis :
 85 ipsa opus et textum stupet immortale Minerva.
 86 Quam vero, o quam te dicam, quum legibus aequis
 87 justitiaque feros populos frenasque, regisque,
 88 et divina doces jura, et civilia ferre ;
 89 aut arces tollis, aut propugnacula condis ;
 90 aut matres inter medias, populosque frequentes
 91 incedis regina ! Favor comitatur euntem,
 92 Majestasque, Pudorque, tamen qui Pallada possit
 93 armatam, et Martis gradientem in bella decere.
 94 In dextra Pax laeta manu, et praetendit olivam.
 95 Applaudunt Sequani, floresque et lilia passim
 96 effundunt, gaudentque tuas attollere laudes,
 97 reginamque, deamque, salutiferamque salutant,
 98 et pace insignem, et bello ferroque potentem.
 99 Fortunata nimis, magnus quam Caesar, et omnis
 100 suspicit admirans orbis, cui lumine tellus
 101 felici arridet, totus cui militat aether.
 102 Diis quamquam visum aspectu tibi debita regna
 103 paulisper privare tuo, seu crimine cives
 104 id meruere aliquo, seu te tua fata reservant
 105 ad majora, viamque tuis virtutibus amplam

106 expediunt, panduntque. Etenim jam tempora laeta
 107 illa instant, quum post lacrimas, post publica vota
 108 te tandem tua regna novis decorata trophaeis
 109 accipiant, et justa tibi solemnia solvant.
 110 Jam ludi, festique dies, jam sacra parantur ;
 111 jam placidus ripa gaudet Meniascus amoena ;
 112 in templis pueri impubes, mixtaeque puellae
 113 sacra canent, ortusque tuos ad sidera tollent ;
 114 ut nascentem ulnis primae excepere Camenae,
 115 melleque, et Aonio tetigerunt ora liquore ;
 116 ut Charites fovere deae, et decus omne dedere ;
 117 ut parva in numerum pedibus cunabula divae
 118 pellentes, manibus nentes fatalia pensa
 119 grandia concordēs cecinerunt fata sorores.
 120 Stabunt ingentes sublatis molibus arcus
 121 caelati gestisque tuis, factisque tuorum.
 122 Supra omnes humeris exstans altaque corona
 123 frater erit, senosque ferox ex hoste triumphos
 124 ducet ovans. Mox fortuna congressus iniqua,
 125 cum dura bellare dea, et decernere dure
 126 cogetur. Longe illa Euris in bella vocatis
 127 objicere adversos, et toto nubila caelo,
 128 et casus, et monstra modis minitantiā miris
 129 cernetur : rex contra animis, et fortibus ausis,
 130 et virtute nova tandem superare cadentem,
 131 tendentemque manus ; tum ferro et compede vinctam
 132 protrahere, et campo captivam ducere aperto ;
 133 nubila diffugere, et turpi deformia monstra
 134 victa fuga, vario bello consumpta fameque
 135 in caecas latebras obscuraque Tartara condi.
 136 O, mihi si tantum juvenili in corpore vitae,
 137 et tantum det Parca mihi, haec ventura superstes
 138 ut videam, comiterque tuos, regina, triumphos :
 139 mox etiam spectare queam et majora parari !
 140 En erit, en umquam illa dies, quum Gallica signa
 141 attolli, et Sequanos compleri milite campos
 142 conspiciam, fremere arma Rhemos, fremere arma Cadurcos,
 143 Aulercos, Heduosque, et pictis Lingonas hastos ?
 144 In mediis regem secum cataphracta trahentem
 145 agmina, sublimem sanctas procedere ad aras,
 146 per caput et sacram regum de more coronam
 147 jurantem, et Solymas repetentem debita sceptris
 148 regna suis ; te parte alia fortes Ituriscos,
 149 Andelos, Biturasque feros in bella moventem ;
 150 consiliis, tantoque operi comitemque ducemque
 151 ascitam, nec non tanto sub rege coactam
 152 in ferrum ruere italiam, et socia arma trahentem
 153 signa sequi. Mox o liceat caeloque secundo,
 154 et praesente Deo, tot sese addentibus una
 155 prospicere immensum consterni puppibus aequor ;
 156 Carmelique procul rupes, et litora Joppes
 157 laeta Dei classem, et victricia vela vocare,
 158 et trepidum Euphraten, et magni tremere ostia Nili.
 159 Tunc ego non alium Martem mihi, Pallada poscam
 160 non aliam mihi ; rex Mavors, tu maxima Pallas
 161 sola eris. O ego tunc gemino sub numine tutus

162 per medios hostes videor densosque maniplos
 163 victor agi, videorque mea sub cuspidē fractos
 164 munera magna tibi captivos ducere reges ;
 165 nec non et spolia ampla tuis addenda triumphis
 166 jungere, barbaricas vestes, regumque tiaras,
 167 armaque, Mygdoniosque arcus, Lyciasque pharetras ;
 168 cernere et exanimem fuso cum milite portas
 169 Caucaseas atque Hircanos inquirere saltus
 170 Maumethem, et sese extremis occludere Bactris.
 171 Haec, precor, haec propere eveniant felicibus astris,
 172 si qua fata dabunt, votis si Juppiter adsit.
 173 Interea, sive haec te cura, et gloria tangit,
 174 seu pacem Europae miserae moliris, et arma
 175 in Superum saevos hostes avertere tentas,
 176 magnanimo assistente tuis conatibus Anna,
 177 Anna spectato meritis, cui summa potestas
 178 tradita, quo rerum moles onerosa recumbit,
 179 quicquid agis, si quando animum convertis ad ipsam
 180 Italiam (neque enim teneat non haec quoque cura)
 181 tunc dicas, Caelo ante alios mihi fidus in illo est,
 182 qui nisi pro rege invigilans noctesque diesque
 183 illic res Italas, et regia munera tracte.
 184 Gallica suspiret regna, et tabescat abesse.
 185 Praeterea, dea bellipotens, quae munera Caesar
 186 Fregosus, parva illa quidem, sed congrua mitto,
 187 haud ingrata tibi Latiis accedat ab oris,
 188 una eadem, faciesque tui, faciesque Minervae.
 189 Quin etiam, quoties divam spectare juvabit,
 190 te toties spectare puta. Sed, me quoque tanti
 191 si facies, si me tali dignabere honore,
 192 quum memor ipsa mei fueris, tum nomine nostro
 193 longaeвамque diem, et felicia cuncta precata,
 194 Diva, tuum salvere jube super omnia Martem.

AD M. ANTONIUM FLAMINIUM ET GALEATIUM FLORIMONTIUM

C_7

v.1 Dum vos fatidicos vates, arcanaque sensa
 2 volvitis, atque animum caelesti nectare alentes,
 3 alloquiis, magnoque Dei consuescitis ori
 4 felices duce Giberto, Campense magistro :
 5 Quid dicam miserum me agere, et quam ducere vitam
 6 irrequietum animi et quaerentem indagine vana
 7 naturam semper fugientem ; quae se ubi paulum
 8 ostendit mihi, mox facies in mille repente,
 9 ceu Proteus, conversa sequentem eludit, et angit
 10 maerentem senique horas cassumque laborem ?
 11 Nuper enim tenues species, simulacraque rerum,
 12 quae fluere ex ipsis dicuntur, perque meare
 13 omnia, dum sector meditans, tacitusque requiro
 14 avia silvarum, et secreta silentia solus,
 15 cognovi tamen his spectris illudier ipsis :
 16 ut sensus feriant nostros, semperque lacesant,
 17 perque fores, caulasque animae ludantque, meentque,
 18 ac remeent, ipsamque nec inter somnia linquant.
 19 Ergo hoc elusum studio, fessumque labore

20 tandem me miserata suos abduxit in hortos
 21 Musa memor, tetricumque animum somno, atque quiete
 22 curavit, numerisque et blando carmine fovit.
 23 Tum mihi : "Quo tandem, o semper mortalia quaerens,
 24 hanc colere usque voles terram ? Numquamne relinques
 25 has tenebras, numquamne in lucem lumina tolles ?
 26 An nescis, quaecumque hic sunt, quae hac nocte teguntur,
 27 omnia res prorsus veras non esse, sed umbras,
 28 aut specula, unde ad nos aliena elucet imago ?
 29 Terra quidem, et maria alta, atque his circumfluit aer,
 30 et quae consistunt ex iis, haec omnia tenues
 31 sunt umbrae, humanos quae tamquam somnia quaedam
 32 pertingunt animos, fallaci et imagine ludunt,
 33 numquam eadem, fluxu semper variata perenni.
 34 Sol autem, Lunaeque globus, fulgentiaque astra
 35 cetera, sint quamvis meliori praedita vita,
 36 et donata aevo immortalis, haec ipsa tamen sunt
 37 aeterni specula, in quae animus, qui est inde profectus,
 38 inspiciens, patriae quodam quasi tactus amore,
 39 ardescit ; sed enim, quoniam hic non perstat, et ultra
 40 nescio quid sequitur secum, tacitusque requirit,
 41 nosse licet circum haec ipsum consistere verum,
 42 non finem : verum esse aliud quid, cujus imago
 43 splendet in iis, quod per se ipsum est, et principium esse
 44 omnibus aeternum, ante omnem numerumque, diemque.
 45 In quo alium Solem, atque aliam splendescere Lunam
 46 aspicias, aliosque orbis, alia astra manere,
 47 terramque, fluviosque alios, atque aera, et ignem,
 48 et nemora, atque aliis errare animalia silvis :
 49 denique cuncta alia cernas vegetantia vita.
 50 Ergo, umbras quum jam satis, et specula illa, superque
 51 spectaris, longa jamdudum in nocte pererrans,
 52 fas tandem lucem, atque ipsum perquirere verum.
 53 Quod quoniam longe sejunctum est corpore ab omni,
 54 nec nexus habet, aut affinem sensibus ullis
 55 Naturam, scito esse animum tibi dissociandum
 56 corpore, purgandumque omni contage recepta,
 57 terrena labe, et mortalis luminis haustu :
 58 quaerendaeque aliae silvae, callesque tenendi
 59 sunt alii, meliorque Deum quae semita monstrat.
 60 Haec Musa. O si te comitem dent rura beata
 61 Bardolena mihi, o qui nos propter amoenum
 62 Benacum viridi silvis in litore sistat :
 63 atque olea, lauroque tegat, detque abdita vatium
 64 sensa, et utramque Dei praecepta evolvere legem !
 65 Rura, oro, Giberte, tuo Benacea vati
 66 da, viridesque oleas, et multa protege lauro.
 67 Ille tuas laudes primum canet, et tua facta
 68 inclyta Maeoniis numeris ad sidera tollet.
 69 Ut puerum mirata sacro cum Tybride Roma
 70 ante annos meritis titulis et honoribus auxit :
 71 ut res Romana, et sacrorum tradita jussu
 72 Pontificum tibi summa in te uno saepe resedit ;
 73 ut septem fremuere novis applausibus arces.
 74 Macte animis, macte ingenio, tu trajicis aequor
 75 Barbaricum, et ferro reges in bella ruentes

76 alloquiis frenas, et coeptos ore tumultus,
 77 armaque, et hostiles animos, et proelia sedas :
 78 foedera, amicitiasque feris, pacemque reportas
 79 Italiae, populisque Dei. Nec te tamen ingens
 80 terra capit : toto juvenem tot plausibus orbe
 81 exceptum, tua te pietas, tua maxima virtus
 82 in caelum vehit, et terrae dat spernere honores ;
 83 dat contemnere opes, unique incumbere Olympo,
 84 ac folis Divorum epulis, et nectare pasci.
 85 Haec ubi perpetuo cantavit carmine, et omnes
 86 respondent late rupes ; tunc concitus oestro
 87 fatidico, plenusque Deo Davidica vates
 88 ipse etiam pater interpretes oracula solvit,
 89 dignus qui ante omnes citharam pertractet eburnam
 90 quam quondam Solymae stupuere arcesque Sionis.

AD FRANCISCUM TURRIANUM VERONENSEM.

C_8 v.1 Turri, si aut mihi villa et lar sit laetior, aut tu
 2 ferre domum tenuem possis, parvisque penates
 3 urbe procul ruri sese abscondentis amici,
 4 quantum ego te his mecum Caphiis in montibus optem,
 5 montibus his, ubi, si querulae nemora alta cicadae
 6 non rumpant, equidem vix norim aestatis adesse
 7 tempora, tam leni mitescit Julius aura !
 8 Sed quid, si est angusta domus, dum pulvere et omni
 9 munda situ : dum sit nullo turbata tumultu,
 10 nescia curarum, nullius conscia culpae ;
 11 alta ubi per totum sit pax, et amica Camenis
 12 otia, et integri per magna silentia somni ?
 13 Quid refert, alius minio laquearia rubra
 14 si inspicere, ipse velim fuligine nigra videre ?
 15 Si non dejectum caelo Jovis igne Typhoea
 16 terrigenasque alios, spirantia signa, videbis
 17 admirans opus aeterni memorabile Juli ;
 18 at bona Libertas aderit, quae rura beata
 19 praecipue insequitur, simplexque incedit et exlex.
 20 Hic tibi, si Paulo digitus sit inunctior, aut si
 21 potanti insonuit cyathus, vel si pede utroque
 22 non steteris, nemo objiciet, nemoque sedentem
 23 arguet, hoc illi si fors super incubuit crus.
 24 Stare, sedere, esse ex libito, et potare licebit.
 25 Forsitan et, mihi quid vitae, quid sit studiorum,
 26 nosse optas, quo vel damnes, vel singula laudes.
 27 Mane venit, juvat Auroram Solemque videre
 28 nascentem, qui non alio consurgit Eoo
 29 pulchrior, unde nova laetantur singula luce,
 30 et silvae, scopulique, et pictis nubibus aer.
 31 Parte alia Benacum alto de colle saluto,
 32 centum cui virides invergunt flumina Nymphae :
 33 ipse sinu magno Genitor magno excipit amne.
 34 Tum juvat aut spectare boves mugitus alta
 35 complentes nemora, aut pulsas in pascua capras.
 36 Prae caper it, cui barba jubat, cui cornua pendent
 37 intorta, et grandes olido de corpore setae.

38 Pone gregem reliquum compellit arundine virgo
39 opilio, multo armantur cui baltea fuso.
40 Interea natos discentes rustica amare
41 numina, vicini nemoris gelidam voco in umbram,
42 qui libros, qui secum horae solatia portent.
43 Hic legitur, viridique toro, saxove sedetur
44 glandifera sub fago, aut castanea hirsuta.
45 At variae circum silvis, et frontibus altis
46 assuetae ludunt volucres, atque aethera mulcent.
47 Tum densum nemus, atque umbrae per gramina laeta
48 jejunas nos invitant spatiarier horas.
49 At fessi haec inter pueri sitiuntque, dolentque
50 plus aequo retineri, et jam Musasque, librosque,
51 et Pana, et gelidi pinus odere Lycaei.
52 Ergo praecurrere, et aquas, et vina pararunt
53 lucenti in vitro, et flores sparsere nitentes.
54 Advenio. Primas atro lita mora cruore,
55 aut grossi mensas ineunt, cors cetera, et hortus
56 sufficit. Interea crebro sonat area pulsu,
57 increpitat seges, et duri sub Sole coloni
58 alternis terram feriunt, et adorea flagris,
59 fit clamor, resonat tellus rupesque propinquae,
60 et paleae sursum strepitu jactantur inanes :
61 laeta Ceres alto ridens despectat Olympo.
62 Umbra diem reliquum, somnus, librique, viaeque
63 producunt, dum siccam aestu Canis excoquit urbem.
64 Verum, ubi caeruleis serus sese extulit undis
65 vesper, et in caelum surgentia sidera vexit,
66 vicina e specula, magni admirator Olympi,
67 alta rupe sedens natis astra omnia monstro ;
68 accendoque animos patriae caelestis amore.
69 Illi admirari, et cognoscere sidera discunt
70 Cepheaque, Arctonque, et servantem plaustra Booten.
71 Haec ergo praeferre urbi, et contemnere magna
72 si possis, quid te teneat, ne tu ocius ad mos
73 accurras ? Etiam has sedes, haec limina magnus
74 Naugerus subiit, nec dedignatus adire est
75 Battus amor Musarum, ipsum quo tempore primus
76 Pana, atque antiquos cecinit Telluris amores.
77 Hic me etiam desueta deae, medicumque, senemque
78 carmina jusserunt canere, et ridere beato
79 illudentem urbem, et male sani murmura vulgi.
80 Verum, haec Gibertus ne viderit ipse, caveto ;
81 ni fors an Bubulone animum, curasque relaxans
82 propter aquam viridi laetus consederit herba,
83 qua placidus leni descendit Tartarus amne.
84 Scilicet hic numeros non aspernatur, et audit
85 nos etiam, et nostram, quamvis sit rustica, Musam.
86 Verum, ubi se sibi restituit, mentemque recepit
87 illam alto intentam caelo, seu sacra sacerdos
88 munera obit, totum seu contemplatur Olympum,
89 tum supra et Musas et ruris Numina supra est,
90 vitam agitans divum, diis se caelestibus aequans.

IN MORTEM ALIPRANDI MADRUTII,
FRATRIS CHRISTOPHORI CARDINALIS TRIDENTINI.

C_9 v.1 Impositum quum te feretro, miserande Madruti,
2 cerneret illacrimans Caesar, circumque videret
3 et spolia, et victis erepta ex hostibus arma,
4 et modo victrices juxta maerere phalanges,
5 quantum, inquit, tua mors nostris inimica triumphis
6 laetitiae, decorisque adimit ! Spes quanta futuri
7 tecum, Aliprande, cadit ! Sed non tua vivida virtus,
8 ut te hunc aspicerem, tua non promiserat aetas ;
9 sed fore, qui Solymis mecum atque Oriente subacto,
10 barbaricis regum spoliis et mille trophaeis
11 olim magna tui decorares templa Tridenti.
12 Invidit mors tanta tibi. Vos nobile corpus
13 ferte Ducis vestri, juvenes, et reddite matri
14 exanimi : sed et haec miserae solatia ferte,
15 tantum ipsam peperisse virum, qui Caesaris usque
16 et comes, et bene gestarum pars maxima rerum,
17 Caesaris ex animo nullo delebitur aevo.

AD ALEXANDRUM FARNESIUM CARDINALEM AMPLISSIMUM.

C_10 v.1 Priscae virtutis, Romani et sanguinis haeres,
2 Farnesi, quoniam nec dii munuscula laeta
3 despiciunt hominum, spicas, acserta rosarum,
4 libaque, et exigui devotum turis honorem :
5 tu quoque (si mores imitari, ac facta deorum
6 praecipue heroum est) non dedignabere parva
7 Frastori quae dona tui natusque, paterque,
8 perpetui affectus monimenta, as pignora mittunt.
9 Hos tibi patre Lyco, Scyllae genitrice gemellos
10 dat natus sua dona canes. Scyllae inclyta origo
11 a Nilo est : Lycus a magno descendit Araxe.
12 Qui quondam Euganeas transmissi munus ad oras
13 praestabant cunctis, sive aprum figere morsu
14 esset opus, rapidum cursu seu vincere cervum.
15 Horum igitur sobolem natus tibi ab ubere matris
16 nutriit ablatam, et nostris exercuit arvis
17 venatu assiduo, et vires durante labore,
18 nostrorum famam nemorum, geminumque ferarum
19 terrorem, nunc ille tibi quam mittit habendam,
20 Romanis eadem in campis si forte sequetur
21 gloria, et ignota fors in regione juvabit.
22 At genitor, nati cum munere, carmina mittit
23 haec tibi : quae, quamquam tristi fugiente senecta
24 laetitias cantusque, tamen voluere Camenae
25 in te unum, dominaeque mei, nimiumque potentes,
26 ut canerem, Musaque canes comitarer amica.
27 Ergo tot rerum curis, ac pondere tanto,
28 quo premeris, dum rem Romanam, ac publica curas,
29 si quando defessum animum, mentemque remittes
30 liber, et ad dulces poteris te vertere Musas,
31 haec quoque nostra leges : ea si dignabere tanti,
32 inter Romanas ut eant spectanda Camenas.

33 Quod si etiam recreare animum corpusque juvabit
 34 venatu, et latos saltus ac densa ferarum
 35 lustra fatigare, et capreas agitare fugaces,
 36 tum canibus miscere tuis, tecumque vocare
 37 ne pigeat nato missos. Hirsutior ille
 38 cuncta niger, tantum pedibusque et gutture canus,
 39 non invitus herum Tiberonis voce sequetur.
 40 Ast Athiso (namque hoc alter de flumine nostro
 41 nomen habet) nec cursu impar, nec dente minaci
 42 segnior, anguineo suffusus terga colore,
 43 frontem albo pictus discrimine, pictus et albo
 44 cervicem, caudamque imam, pectusque, pedesque,
 45 addictus lateri numquam discedet herili ;
 46 tantus amor domini ! Nisi forte cupidine praedae
 47 conspectae impatiens etiam retinacula rumpat.
 48 Hic tu, vel pulchro Calai, vel Tyndaridi alto
 49 Polluci similis, silvas latratibus omnes
 50 complebis, rupesque hominum clamoribus altas,
 51 vectus equo Haemonio, et fulgenti clarus in ostro.
 52 Attonitae visu discent nemora inter amare
 53 rusticae Hamadryades, discetis amare, Dianae
 54 insuetae comites ; volucris sed concitus ille
 55 fertur equo, vestrosque alio deportat amores,
 56 insequiturque feras. Ah, ne illum accensa cupido
 57 venandi, excitos silvis impellat in ursos !
 58 Ne in saevos impellat apros ! Tibi cura, Dione
 59 Aeneadum genitrix, sit custodire nepotem,
 60 et juvenem ilicea defessum sistere in umbra.
 61 Sat silvis animosque datum est ; illum sua Roma
 62 poscit, et exspectat lati res publica mundi.
 63 I, spes magna Urbis, rebusque vocantibus adsis.
 64 Interea, quando mihi divus habebere semper,
 65 ipse tibi Caphiis sacras in montibus aras
 66 instituum, qua se summo de vertice collis
 67 tollit, et aequatum Benaci prospicit aequor,
 68 et virides olea ripas, patriamque Catulli.
 69 Hic tibi solemnemque diem, et renovanda quotannis
 70 sacra, tuo statuam semper de nomine dicta.
 71 Tunc rosa, tunc violae, tunc purpurei hyacinthi,
 72 verbenaeque senem deceant, tunc texere flores,
 73 et viridem cano capiti imposuisse coronam,
 74 laetitiaeque diem et multo producere Baccho,
 75 fallentem senium, et curas de corde fugantem.
 76 Forsitan et Musarum aliqua, et tibi fautor Apollo
 77 plectra mihi, citharamque dabit : Deus ipse canentem
 78 perque tuos annos, perque acta illustria ducet.
 79 Infanti ut prima impellens cunabula Pallas
 80 accinuit cantu Graio, cantuque Latino,
 81 scilicet et fari lingua assuefecit utraque.
 82 Ut puerum Aonio perfusum labra liquore,
 83 per dulces Musarum hortos et amoena vireta
 84 perduxit, nunc Uranie, nunc Calliopea,
 85 nunc Clio monstrante viam, nullaque fororum
 86 non donante rosas, etserta virentia lauro.
 87 Tum mores animumque dedit, sensumque senilem,
 88 atque Urbem regere, ac sacro splendere galero.

89 Nec jam Roma capit, sed lata in regna vocatum
 90 ad pacem Europae, non te maria alta fatigant,
 91 non juga, non toties superatis nubibus Alpes.
 92 Te Poeninae arces, celerem te Norica saxa
 93 spectarunt rapido montana per ardua cursu,
 94 quantum Sol caeli, tantum telluris obire
 95 Matre dea comitante, et iter monstrante Nepoti.
 96 Nec satis haec : majora urgent. Germania nuper
 97 grata Deo, nunc ingeniis elate superbis
 98 detrectare jugum Imperii, et se opponere Patrum
 99 sanctorum placitis, et sacris legibus audet ;
 100 nec jam Pontificum, nec jam ullos caesaris audit
 101 infelix monitus, sed laevo numine divum
 102 arma parat : socium Caesar te poscit in hostes,
 103 pro sceptro Imperii, pro religione Deorum.
 104 Tunc primum attonitae gentes videre Latinae
 105 te, Fratremque tuum patria virtute, animisque
 106 invictis pariter, res duri et munera belli
 107 tractantes ; gemini quales duxisse feruntur
 108 Tyndaridae plulchi Graias in bella cohortes.
 109 Tunc primum Romana acies, antiquaque virtus
 110 visa fuit : Ducibus tantis Mavortia pubes
 111 magnanime Aeneadae, memores virtutis avitae
 112 bella cient ; Italo pleni jam milite campi
 113 densantur, jam procedunt longo ordine signa
 114 sublata in ventos, lateque inimica minantur.
 115 Nec mora, jam summis Romanos miles, et arma
 116 Alpibus apparent : concussae motibus illae
 117 fuderunt gemitus ; longe vagus audiit Oenus,
 118 obriguitque gelu ; riguerunt flumina Rheni,
 119 et pavidus fluxit demissis cornibus Hister.
 120 Romanum ad nomen planxerunt pectora matres,
 121 caraque in Hercynias traxerunt pignora silvas.
 122 Sed quo me rapitis, Musae ? Quid facta revolvo
 123 Farnesi ? Majora animo jam concipe, teque
 124 impavidum, invictumque aliis accinge triumphis.

AD EUNDEM. CUI LIBROS DE CONTAGIONE ET CONTAGIOSIS MORBIS DEDICAVIT.

C_11 v.1 Haec ego florentes Sophiae digressus in hortos,
 2 Italiae decus o Juvenis, Farnesia proles,
 3 condebam, lectasque tibi de more sacrabam
 4 primitias, dum tu magni inter Caesaris arma,
 5 Gallorumque acies ; recti pacisque sequester
 6 res miserae Europae fractas componis, et omne
 7 robur, at arma Dei Maumethen vertis in hostem,
 8 percurrisque omnem, veluti Sol aureus, Orbem.
 9 Fortunate nimis ! quem cunctae applausibus urbes
 10 excipiunt, pacisque vocant patremque, deumque,
 11 inque caput, sacrosque decus, humerosque, manusque
 12 et nigras violas et candida lilia jactant.
 13 Cui magna Italia, et terrarum maxima Roma
 14 assurgit, festosque dies, et sacra nepoti,
 15 solemnesque agitat pompas. Densi undique circum
 16 stant populi, et studio ingenti, et clamore secundo

17 Farnensum genus omne, alto de sanguine ductum
 18 Aeneadum longa serie, super aethera tollunt
 19 patres, atque duces, et partos mille triumphos ;
 20 assensu resonat Tybris, et Tyrrhena resultant
 21 litora ; septeni responsant gaudia colles.
 22 O nimium dilecta Deo praelataque longe
 23 progenies, sive imperiis et Marte regendae
 24 sint res Romanae, seu Religionis habenis.
 25 Atque equidem e fracto Imperio, Romaque cadente
 26 servatam hanc stirpem fato, flatuentibus et diis
 27 crediderim, quo Romanum per saecula nomen
 28 staret, et ara Dei, quae primum maxima magnis
 29 auspiciis fundata fuit, sit maxima semper.
 30 Quo me, Paulle, rapis, quo tuque neposque vocaris
 31 laudibus heroum insuetum ? Tu maximus ille es,
 32 uni cui regni triplicis capite alta tiara
 33 consurgit, cui summa uni terna illa potestas
 34 terrarum, Caelique data est, vastique profundi,
 35 illorum aperire fores, et claudere posse ;
 36 qui Petri, Christique ratem turbante procella
 37 ventorum varia, et remorum parte revulsa,
 38 tempestatem omnem, atque adversos discutis Euros.
 39 Nec sanctam sine honore sinis, sine remige certo
 40 fluctibus in tantis agitari turbine cymbam,
 41 macte animo Romano, et macte ingentibus ausis.
 42 At tibi quas, Juvenis fortunatissime, dignas
 43 attribuam laudes, generis spes altera tanti,
 44 inclyte Alexander, puerum quem plurima virtus,
 45 canaque consurgens teneris Prudentia in annis,
 46 et spondens majora astris felicibus Aether
 47 ad summos meritum ante annos evexit honores,
 48 et sacri gestare dedit decora alta galeri ?
 49 En quantum de te sacri sibi Pastor ovilis
 50 spondet Avus tuus ille, animo quae gaudia versat.
 51 Forsitan et proprio non tam gavisus honore,
 52 quam spe sublatus, tante et virtute nepotis,
 53 nescio quid majus praesaga mente volutat ;
 54 scilicet et gnarus fatorum, et praescius aevi
 55 venturi, illa videt felicia tempora, quum tu
 56 sede sua, solioque dei, Diis proximus ipsis
 57 consideas, quum Pontifici tibi maximus orbis
 58 gratetur, supplexque tuis ferat oscula plantis.
 59 O mihi postremae tantum dent Numina vitae,
 60 ipse etiam ut tum te tremulus, confectus et annis
 61 aspiciam, sanctosque pedes prostratus adorem !
 62 O et si possim canere, et tua dicere facta,
 63 et ventura novo tecum saecula aurea Mundo !
 64 Nam video sub te victum, longaeque fugarum
 65 Maumethen se Caucasais includere portis ;
 66 at Pacem viridi redimitam tempora oliva
 67 ire per Europam magnam, atque invisere terras ;
 68 quam pia Religio, et junctis Concordia dextris,
 69 et probitas et Amor recti comitentur euntem.
 70 Salve, magne Tybri ; salve et tu, maxima rerum
 71 Roma parens, salvete arces, collesque Latini ;
 72 aurea qui primi longo meministis ab aevo

73 saecula, quum nulli variarent jugera sulci,
 74 sponte sua sed terra ferax daret omnia, et ipsae
 75 praeberent dulci victum de robore glandes ;
 76 et nunc venturis eadem speretis ab annis.

AD JULIUM III PONTIFICEM MAXIMUM.

C_12 v.1 Maxime Divini Pastor gregis inclyte Juli,
 2 in terris cui summa uni est concessa potestas,
 3 sceptras vicesque Dei gerere, et regna infera Ditis,
 4 caelorumque fores aperire, et claudere posse ;
 5 si tu, dum magnae Italiae, dum prospicis omni
 6 Europae, et vasta Mundi sub mole laboras,
 7 paulisper potes a tantis secedere curis,
 8 et potes agrestes pastorum audire Camenas,
 9 nunc aures adhibe placidas mihi ; namque ego quae Pan,
 10 Pan magnus cecinit nostros ventura sub annos,
 11 nunc referam, tua, Magne Pater, pars maxima quorum est,
 12 cujus ab auspiciis Parcae nova saecula volvunt.
 13 Nec te paeniteat pastorem audire cadentem,
 14 quando etiam Admeti tauros formosus Apollo
 15 pavit ad Amphrysi ripas, tenuique cicuta
 16 non potuit cantare deum sub tegmine acerno ;
 17 et Veneri dilectus oves ductavit Adonis.
 18 Scilicet et tu etiam post grandia nomina Pastor
 19 diceris, atque hoc in primis cognomine gaudes,
 20 et pecudes curare soles, pecudumque magistros.
 21 Forte ego, dum medio terras sol excoquit aestu,
 22 ipse Suessani pastor puer incola campi
 23 ducebam pastas viridi de valle capellas
 24 in nemorum secreta, umbras et frigora quaerens,
 25 qua placidus cursu descendit in aequora Lyris.
 26 Est lucus prisca quem sacravere Latini
 27 Silvano ; in cujus medio densa ilice cinctum
 28 est pratum, agrestes ubi dii persaepe videri
 29 audirique solent ; hic capripedes Satyriscos
 30 pastorumque manum junctis per mutua palmis
 31 in gyrum vanere, et laetas agitare choreas
 32 invenio admirans, medius pan magnus ovantem
 33 ad calamos, cantusque regit ducitque coronam.
 34 Dumque deus canit ipse, silet tum cetera pubes :
 35 dum silet ille, alii thiasos, cantusque, frequentes
 36 instaurant, repetuntque dei postrema canentis ;
 37 ingeminat postrema nemus, respondet et Echo.
 38 Tum me respiciens mihi sanguine proximus Anthus,
 39 Anthus, Aquinatis pastor gregis : " Huc, puer, inquit,
 40 huc ades, o Neore, et te his adjunge choreis ;
 41 aut, spectare magis si te juvat, aggere ab illo
 42 prospice, dum saturae sua ducant otia caprae."
 43 Cui ego : "Quin potius juvet hoc de caespite vestros
 44 spectantem lusus, molli requiescere in herba."
 45 Et tum forte deus buccas sandyce rubentes
 46 inflans, et picea frontem praecinctus acuta,
 47 ad calamos circumsiliens, haec carmina cantu
 48 fatidico insanus latas fundebat ad auras :

49 "Dicite Io, Satyrisci, et Io geminate, coloni ;
 50 Aurea felici nascuntur saecula Mundo. "
 51 Excipiunt juvenes, iterat nemus, assonat Echo :
 52 Aurea felici nascuntur saecula Mundo.
 53 Tum sequitur deus : "Ante tamen Rex magnus Olympi
 54 bellumque, horribilemque famem, diramque flagellis
 55 armatam Alecto e tenebris et faucibus Orci
 56 immittet terris, genus ut mortale coercens
 57 castiger, fraudesque hominum, fastusque superbos,
 58 et luxus, et spes miseris, et gaudia vana.
 59 Dum tandem sese, atque Deos cognoscere discant.
 60 Mox tantum exspectatum illud, quod carmine sacro
 61 tot vates cecinere pii, felicibus astris
 62 adveniet tempus, quo mons ille arduus, ille
 63 mons ingens sublime caput super omnia tollet
 64 culmina, sidereum qui vertice tangat Olympum ,
 65 quo neque vis ventorum adeat, non fulminis ignes.
 66 Dicite Io, satyrisci, et Io geminate, coloni ;
 67 Aurea felici nascuntur saecula Mundo.
 68 Hoc in Monte dei pecudes pascuntur et agni,
 69 graminis aeterni pingues, et velleris aurei.
 70 Exsiliunt et aquae vivae, quibus ubera caprae
 71 grandia distendant, distendant ubera vacae.
 72 Non malus hic serpens, non noxia creverit herba,
 73 non sentes, sterilisve filix, non frigida taxus,
 74 sed bis lecta seges, sed bis gravis uva racemis ;
 75 corticibusque cavae sudabunt balsama pinus.
 76 Hinc magnis praestantem animis, et fortibus ausis
 77 fortunata nimis pastorem haec saecula habebunt,
 78 qui virtute regat populos, et legibus aequi,
 79 divinas qui pascat oves, et pascua late
 80 extendat, pecudesque ipsas, et ovilia servet.
 81 Hic primum diram Alecto, et Cocytia monstra
 82 Caucasea aerata religabit rupe catena.
 83 Inde famem miseram e Latio populisque Deorum
 84 pellet in hostiles gentes, et barbara regna.
 85 Tum laeta Ubertas, segetumque onerata manipulis
 86 alma ceres Italas spicis venerabitur aras ;
 87 quam circum pueri salient, et rustica pubes,
 88 ridentesque jocos, incompta carmina dicent.
 89 At noti Mysis Damones et Alpheisiboei
 90 vota Patri magno, laudesque et sacra canentes
 91 aeternis illum numeris ad sidera tollent,
 92 heroemque, deumque, salutiferumque vocabunt.
 93 Dicite io, Satyrisci, et io geminate, coloni ;
 94 Aurea felici nascuntur saecula Mundo.
 95 Ille animum mox ad pacem et discordia regum
 96 pectora convertet, sanctisque hortatibus iras,
 97 atque odia, et caecos regnorum et laudis amores,
 98 horrendamque sitim caedis fusique cruoris
 99 sedabit, pelletque feri mala femina belli.
 100 Tum pax alma ferens ramos felicitis olivae,
 101 atque Amor et junctis pariter Concordia dextris,
 102 et Genius comitum, et generis Hymenaeus amator
 103 invisent late populos, Latiique per arva
 104 laetitiam risusque ferent : tum justa cupido

105 bellorum, piaeque arma ; Dei vertentur in hostes.
 106 Jam video augustis late plena aequora velis
 107 fervere, jam trepidare vagi septem ostia Nili,
 108 Euphratemque, Tigrimque suo se condere in amne.
 109 Jam nec Bactra ipsum capiunt, non India tota
 110 Maumethen fugientem, ipsum non Caucasus ingens,
 111 non qui tot silvas, juga tot comprehendit Imaus.
 112 Dicite io, Satyrisci, et io geminate, coloni ;
 113 Aurea felici nascuntur saecula Mundo.
 114 Quae nam, quae properant tantae per caerula puppes
 115 devotae ad Tiberim, magnaeque ad moenia Romae,
 116 ceu densae ad nidos latum per inane columbae ?
 117 Agnosco gentem innocuam, numerumque beatum,
 118 felices animas, fatis ab origine prima
 119 dilectas, quae caelo olim, Divisque fruuntur.
 120 En jam sanctam Urbem, jam septem in collibus aras
 121 impositas, summique pedes Pastoris adorant.
 122 Hos inter, video, et nostri longa aequora sulcant
 123 Arcades, Italiamque petunt, fataliaque arva
 124 Arcades. O soli quondam cantare periti
 125 pastores, quos Justitia e tellure recedens
 126 postremos liquit, nunc rursus laeta revisit.
 127 O sancti, properate ; vocat Deus aethere ab alto :
 128 vos alius jam grex, aliudque exspectat ovile.
 129 Quin venit illa dies, quum nos quoque Maenala nostra,
 130 Arcadiumque omnem, qua immani a gente repulsi
 131 fugimus in Latium, longo post tempore tandem
 132 visamus, dulcemque auram. O placidissime Peneu,
 133 o Ladon, vos o gelidi pineta Lycaeï,
 134 quando ego per vestros meditabor carmina lucos ?
 135 Maenalios quando recinet mea tibia versus ?
 136 Maenalus auritas, dantesque oracula quercus
 137 semper habet, semper doctas ille audit avenas.
 138 Concipe Maenalios, mea tibia, concipe versus."
 139 Talia cantabat memorans Pan magnus. At Anthus
 140 "Haec referes, puer, inquit, et hoc tibi munus habeto
 141 nunc parvum : ventura dies majora reservat."
 142 Tum mihi fiscellam dono dedit optimus Anthus,
 143 dicere et occasus astrorum, dicere et ortus,
 144 et quid quaeque ferat tellus, quae commoda Baccho,
 145 quae Cereri, quidnam ventos, quid nuntiet imbres,
 146 quae tempestatum, caeli quae signa sereni ;
 147 denique quae cunctis natura sit indita rebus.
 148 Virtutem in primis et honestum, quemque docere,
 149 ac vitii ipse expers, aliena notare paratus.
 150 Et jam tempus erat pastum deducere capras.

INCIDENS.

C_13 v.1 Battus amor Dryadum defunctum pastor Iolam
 2 flebat ; eum fontes, Alpinaque numina circum,
 3 Sarcaque, pumiceoque sedens Benacus ab antro
 4 maerentem lacrimis consolabantur obortis ;
 5 ille autem nulla accipiens solamina, tantum
 6 deserta sub rupe, in litoribus Benaci,

7 talia nequicquam surdas jactabat ad undas :
 8 immites divi, et crudeles vos quoque Parcae,
 9 crudeles nimium Parcae ; vos ibitis amnes,
 10 aerae stabunt rupes ; numquam amplius ipse
 11 his terris, numquam hoc caelo agnosceretur Iolas
 12 ut cecidit semel ? In pratis ut purpureus flos,
 13 quem tetigat vel hiems, vel iniquo Sirius astro.
 14 Currite jam, fluviorum undae, et producite vitam,
 15 et, rupes, durate ; tamen non alter Iolas
 16 hos pecus in montes, non haec ad flumina ducet.

INCIDENS. AD JOANNEM BAPTISTAM TURRIANUM, VERONENSEM.

C_14 v.1 Illa colum exercens saxo consedit aprico,
 2 laeta tepore novo, et liquefacta sole pruina :
 3 at juxta nemore in magno grex pascitur omnis.

HIEMS. AD EUMDEM

C_15 v.1 Frigidus at silvis Aquilo si increverit, aut si
 2 hiberni pluviis descendent nubibus imbres,
 3 nos habeat domus, et multo lar luceat igne.
 4 Upilio ingentem aut fagum, vel scissile robur
 5 sufficiat, tum vos, claro quando igne soletis,
 6 juniperi, suaves circum diffundere odores,
 7 et vos, Palladiae, flammis imponat, olivae.
 8 Ante focum tibi parvus erit, qui ludat, Iulus,
 9 blanditias ferat, et nodum constantia verba.
 10 Ipse legam magni tecum monumenta Maronis.
 11 O fortunatos nimium, si fata, quod aevi
 12 nos manet, hanc una dederint producere vitam.

VER AD EUNDEM.

C_16 v.1 Jam veniet Ver purpureum, juvenisque revertens
 2 annus aget Zephyros, et caelo desuper alto
 3 deducet pleno genitalia semina cornu ;
 4 unde hominum genus, et pecudum, vitaeque natantum,
 5 et pictae volucres, et amantes roscida plantae
 6 in venerem caeco aeterni rapiuntur amore.
 7 Gaudete, o quicumque bonum speratis, agrestes,
 8 quorum amor est sobolis, studiumque nepotibus arva
 9 incolere, et parvas ulmis attollere vites ;
 10 Annus io, novus annus adest ; mutatur et aetas
 11 et meliora novo nascuntur saecula Mundo.
 12 Bella pater procul, et diras Saturnus Erinnes
 13 arcebit caro e Latio, ac sub Tartara mittet.
 14 Tum Letum et caecus Furor, et vesana Cupido
 15 perpetuis extra terra religata catenis
 16 persolvent poenas scelerum ; at Pax alta per omnem
 17 Italiam magno populos sub Caesare viset.
 18 Ille autem insignis spoliis, et mille trophaeis
 19 instituet festos alta ad Capitolia ludos.

20 Stabit onusta ingens, Tarpeii ad limina templi
 21 quercus honore sacra, et praenuntia temporis aurei.
 22 Tum vescae glandes ; tum terra sponte ferente
 23 omnia, comparibus disjunget colla juvencis
 24 Agricola, et rudibus mirabitur hordea sulcis
 25 sponte adolere sua, et nullo frumenta colono
 26 undantem laetis segetem flavescere campis.
 27 Noctibus in silvas et mollia prata serenis
 28 aetherio dulcis commixtum nectare rorem
 29 sudabit caelum ; tenera qui lectus ab herba
 30 mortales saturet mensa dapibusque deorum.
 31 Salve, magne Tybri, et vos natae Tybride Nymphae,
 32 tuque, senex pater Eridane, et, qui flumine Tusco,
 33 Benace, in nostro placidus perlaberis agro.
 34 Tuque, Athesis, cunctique amnes salvete Latini,
 35 Diique omnes magnae Hesperiae, qui secula soli
 36 Aurea Saturni primo meministis ab aevo ;
 37 quum sepes vel limes adhuc communibus agris
 38 non foret, aut ulli variarent jugera sulci ;
 39 sponte sua sed terra ferax daret omnia, et ipsae
 40 praeberent dulci victum de robore glandes.

INCIDENS AD EUMDEM.

C_17 v.1 Quarum pars bruma impatiens, et condita terrae
 2 exspectat ver egelidum, flatusque Favonii ;
 3 pars passura hiemem, laeta ab radice virescit,
 4 emittitque comam, siculumque atque altera beta,
 5 atque ari virides, et odoferae calaminthae,
 6 atque olus, atque rumex, et salsi gramina crithmi.
 7 Quas inter suaves mollesque aspirat odores
 8 nunc decus hortorum, menta ; at, si vera loquuntur,
 9 Nympharum quondam pulcherrima Graiugenarum.
 10 Tum juvat et frondes apii, et sisymbria laeta,
 11 intubaque, et toto florentes frigore sonchos
 12 incolere, atque hortis Aquilonem arcere nocentem.

ALIUD.

C_18 v.1 Nox venit, et pastae redeunt ad tecta capellae.
 2 Prae caper it, cui barba jubat, cui cornua pendent
 3 intorta, et grandes olido de corpore setae.
 4 Pone gregem reliquum compellit arundine virgo
 5 upilio, multo armantur cui baltea fuso.
 6 At mater longaeva, igni dum brassica fervet,
 7 mulctra effert, gravidoque recens lac ubere mulget.
 8 Rusticus interea pinguis collector olivae,
 9 interea et validus prima de nocte bubulcus
 10 advenere domum ; congesta tum focus orno
 11 ingenti, aut fago, vel fragmine roboris, ardet.
 12 Tolluntur laetae flammae, lateque relucent.

ALIUD INCIDENS AD EUMDEM.

C_19 v.1 At nemora, et liquidis manantia fontibus arva,
 2 et placidus myrteta inter, laurisque virentes
 3 vicinus nitido Benacus labitur amne.
 4 At focus, et circum pueri, vernaque canentes,
 5 dum cena undantur coquitur silvestris aheni,
 6 grandiaque exurunt crepitantes robora flammae,
 7 suspensae e summis pendent laquearibus uvae,
 8 malaque, castanaeque, et passo fistula ventre.
 9 Hiberna de nocte, boum stabula alta petuntur.
 10 Una omnes matresque, virique, omnisque juvenus
 11 insomnem exercent noctem : par pensa fatigat,
 12 pars texit teneros Amerino vimine qualos ;
 13 atque anus hic aliqua interea, dum vellera carpit,
 14 et teretem tremulo propellit pollice fusum,
 15 languentes oculos fabella fallit inani.

ALIUD.

C_20 v.1 Mane domi validos pluvia ut conclusit agrestes,
 2 caeditur iliceo distenta sagimine porca.
 3 Laeta domus. Tum sollicita in farcimine mater
 4 pingue suis niveum, et dissecti frusta cerebri,
 5 et niveum lac purpureo cum sanguine miscet.
 6 Tum semen marathri, atque arentis gramina thymbrae
 7 adjicit, et coli insperso sale concava complet.

IN NATALE DIEM JANI FREGOSII, CAESARIS F.

C_21 v.1 Sacrorum si plena Deo sunt pectora vatam,
 2 si norunt triplices fata futura deae ;
 3 fortunate Infans, verus tibi gloria vates,
 4 grandia concordēs concinuerunt deae.
 5 Ecce tuo felix nasci novus annus ab ortu
 6 incipit, atque omen nomine habere tuo.
 7 Cresce cito, magnique Patris mirarier acta
 8 incipe, et invicti Caesaris arma sequi.
 9 Tempus erit, tibi quum partis jam mille trophaeis,
 10 et fessi rebus compositis Latii,
 11 Barbaricis captis opibus, Ducibusque subactis
 12 multa tibi circum tempora laurus eat.
 13 Tum laeta ante tuum stabit Victoria templum,
 14 claudet et aerata limina aheni sera.

DE PARTU VICTORIAE FARNESIAE GUIDI UBALDI FERETRII,
URBINI DUCIS CONJUGIS.

C_22 v.1 Lucinae Junonis opem Victoria supplex
 2 quum peteret, placido sic ait ore dea :
 3 "Sis licet Aeneadum et Veneris de sanguine avito
 4 nata, Puella, tamen digna favore meo es.
 5 Quam Charites tanto junctae comitantur honore,

6 grandia quam Parcae fata manere canunt.
 7 Quippe ubi Junonis flos et Saturnia quercus
 8 jungantur, faustis currere Isauron aquis,
 9 promittique tibi sobolem, qua pristina virtus
 10 Italiae, et priscus restituatur honos.
 11 Nascere, magne Puer, Patremque imitatus Avosque,
 12 magna aude. Non vos Umbria magna capit.
 13 Et jam Infans sanctasque manus, divamque secutus
 14 optati in lumen aetheris exierat.
 15 Ergo, quod potuit, risu agnovitque Parentem,
 16 praesentisque dedit nuntia signa deae.

TUMULUS FRANCISCI MARIAE MOLSAE MUTINENSIS.

C_23 v.1 Quod Molsae fuerat mortale, hac conditur urna,
 2 exstruxere suis quam Aonides manibus.
 3 Coetibus at Superum fruitur nitidissimus almis,
 4 itque comes magno spiritus Hippolyto,
 5 quem Medica de gente satum pulcherrima virtus
 6 extulit, et caeli templa tenere dedit.
 7 Quemque unum ante omnes coluit dum fata sinebant,
 8 atque oculis vates praetulit ipse suis.

AD JOHANNEM LIPOMANUM, EX VERONENSI PRAETURA DECEDENTEM

C_24 v.1 Hadriacum, Lipomane, Athesis dum curret in aequor,
 2 dum meritis reddetur honos et gratia, semper
 3 praetori tibi, debebit Verona, patrique
 4 linquenti monumenta annos mansura per omnes.
 5 Illa tibi semper divinos solvet honores,
 6 et condet tua perpetuis annalibus acta.
 7 I, spes o Venetum, et quem jam moderamina parva
 8 non capiunt, i, te majoribus insere sceptris ;
 9 et lacrimas, et vota, quibus comitamur euntem,
 10 accipe, discessusque tui dona ultima porta.

IN MORTEM BAPTISTAE MONTANI, MEDICI VERONENSIS.

F25 v.1 Dum medica, Montane, doces ope vincere fata,
 2 et Lachesi invita vivere posse diu,
 3 lethaeo indignans pressit te Parca sopore,
 4 et secuit vitae grandia fila tuae.
 5 Sic, animas et tu, Asclepi, dum subtrahis Orco,
 6 te quoque saevorum perdidit ira deum.

AD IOANNEM MATTHAEUM GIBERTUM EPISCOPUM VERONENSEM.

C_26 v.1 Melsineae rupes, subjectaque litora Tusci,
 2 quae suprema sonans alluis unda lacus,
 3 annuite : agrestem dum, votum pauperis, aram
 4 et vivo Thyrsis caespite tollit humo.
 5 Nunc herba struit, atque hederis et floribus ornat,
 6 et, Giberte, tibi rustica sacra facit ;
 7 ast olim auratam niveus tibi taurus ad aram

8 cornibus auratis victima magna cadet.

AD EUMDEM.

C_27 v.1 Naiades hoc, Giberte, tibi Benacides antrum,
 2 et qui muscoso fons cadit e lapide,
 3 sacravere : tibi sit cura et fontis et antri ;
 4 et quandoque deus ad tua sacra veni.
 5 Et sacer est, et habet spirantes suaviter auras
 6 hortus ; et est nullo gratior umbra loco :
 7 et nusquam est longaeva mage, et felicior arbos,
 8 pulcher Adoni, tua ; pulcher Apollo, tua.
 9 Hic canere, et tenuem posse exercere Camenam
 10 ille dedit ; sanctus qui mihi semper erit.
 11 Hic herbas, succosque tuos, artemque relinquo,
 12 Phoebe ; soles Musas tu quoque amare magis.

AD EUMDEM.

C_28 v.1 Ipsa tibi, Giberte deus, lego lychnida Leuce
 2 Melsineis leuce cognita litoribus.
 3 Et pulchram cyanum, et canentia lilia necto ;
 4 olla colore magis, haec et odore placent.
 5 Roma caput sacro decoret tibi magna galero :
 6 non tamen et Leuce, non sua sarta dabit.

AD EUMDEM.

C_29 v.1 Et laurum, et citrum hanc teneram de matre revulsam
 2 Giberto sacram Thyrsis utramque ferit.
 3 Hanc, Venus, ast illam Juveni servabis, Apollo,
 4 ne noceant aestus, ne noceatve gelu.
 5 Tu quoque Benaci vicino, Nais, ab amne
 6 clam gelidas teneris frondibus affer aquas :
 7 dumque feres, dic " Sancte, humili tibi nunc dea rivo,
 8 quum venies, toto serviet amne tibi."

DE MARSANGO FLUVIOLO, PROPE VILLAM JOANNIS BAPTISTAE RHAMNUSII,
 IN AGRO PATAVINO.

F30 v.1 Qui te populea cingit, Marsande, corona,
 2 dulce ut in umbrosis cornibus aura sonet ;
 3 at ne umquam inficiat lutulenti sordida plaustri
 4 te rota, sub firmo dat tibi ponte viam,
 5 vicinae cultor villae, Rhamnusius, horti,
 6 agrique, et dominus ripae utriusque rogat ;
 7 lenis vere flue, atque nivali providus undae
 8 arida in aestivi sidera parce Canis.
 9 Sic tibi grata nape geminabit sarta quotannis,
 10 et tua par magnis annibus ibit aqua.

DE EODEM.

C_31 v.1 Qui modo fons, Marsange, humilis, modo cornibus ingens
 2 per salicum rapido laberis amne nemus.
 3 Vere novo, Marsange, mihi flue lenior undis ;
 4 uberior, sitiens quum coquit arva Canis.
 5 Frigentes aestate tibi Rhamnusius umbras
 6 sparget, et ad gelidas ipse sedebit aquas.
 7 Vere rosam violasque feret ; pictaque corollas
 8 pulchra tibi hinc Nais, hinc Galatea dabit.

**QUAE SEQUUNTUR SUMPTA SUNT DE LIBRIS
 QUOS FRACASTORIUS SOLUTA ORATIONE CONSCRIPSIT.**

IN LIBRO SECUNDO DE INTELLECTIONE : GALATEA.

C_32 v.1 Carpe fugam, Galatea ; ferus petit aequora Cyclops ;
 2 carpe fugam ; pelagoque procul speculator ab alto,
 3 Te quis amat, dignumque tuo se censet amore.
 4 Humano primam rorantem sanguine barbam,
 5 et foedam os, oculumque unum, quem, fronte patentem
 6 ipse gerit media, multo lavere aequore cernes.
 7 Pectere dein rastro crines, apioque virenti
 8 assimiles, laudare ; silens tum consulere aequor,
 9 et se spectatis formosum dicere ab undis.
 10 Te vero, Galatea, quod hunc contemnis amantem,
 11 nec pecoris numerum, nec avenae sibila curas,
 12 crudelem, et pistri natam Scyllaque vocare :
 13 crudelesque deos ; si dii tamen aethere in alto
 14 vel mare sunt aliqui ; neque enim se posse putare
 15 ullos esse deos. Demum tibi dira minari.
 16 Nam fore, ut ictu uno magno cum fragmine montis
 17 teque tuumque Acim medium disperdat in aequor.
 18 At tu tuta mari magno, Cyclopis amores
 19 despiciens, ridensque minas, et inania verba,
 20 in nostros, Galatea, sinus, formosa, recurre.
 21 Ille inter pecudes et amore uratur, et Aetna.

IN DIALOGO DE ANIMA : GANIMEDE.

C_33 v.1 Ne timeas, Trojane Puer, quod in ardua tantum
 2 tolleris a terra : quod rostro, atque unguibus uncis
 3 te complexa ferox volucris per inania portat.
 4 Audistine umquam sublimis nomen Olympi ?
 5 Audistine Jovis tonitru, qui fulmina torquet,
 6 qui pluit in terras, cui templa arasque dicatis
 7 vos homines, taurosque tua mactatis in Ida,
 8 quique etiam vestri est, si nescis, sanguinis auctor ?
 9 Ille ego sum. Non te haec volucris, sed Juppiter est, qui
 10 haud praeda captus, cari sed amore Nepotis

11 in summum amplexu innocuo te portat Olympum :
 12 astra ubi tot spectare soles, ubi pulcher obit Sol
 13 ortusque occasusque suos, ubi candida noctes
 14 currit Luna nitens, Auroram Lucifer anteit.
 15 Hic ego te in numero superum, domibusque deorum,
 16 ver ubi perpetuum, felix ubi degitur aetas,
 17 aeterna et semper viridis florensque juventa,
 18 consistam ; aequalemque annis pubentibus Heben
 19 officioque dabo comitem, qui pocula nobis
 20 laeta ministretis. Reliquum caelestibus una
 21 astragalis choreisque diem exercere licebit.
 22 Pone metum, dilecte Jovi, melioraque longe
 23 prospiciens, caram, Puer, obliviscere Trojam :
 24 neve deam te jam, et divorum regna petentem
 25 ulla canum, aut Idae nemorosae cura sequatur.

IN EODEM DIALOGO : PSYCHE.

C_34 v.1 Huc, amor o dilecte, ades, o dilecte Cupido ;
 2 formosum tua te Psyche formosa requirit,
 3 et poscit te dia deum, puerumque puella.
 4 O tibi tam similis si te peramatque, cupitque,
 5 nonne et amabis Amor illam, cupiesque Cupido ?
 6 Est eadem nobis patria ; est caelestis origo
 7 ab Jove ; nos terris pariter, nos aethere in alto
 8 versamur pariter, conjunctaque munera obimus.
 9 Ipsa bonum pulchrumque modis in pectora miris
 10 insinuo, tu corda feris, tu suggeris ignes,
 11 accendisque ardore novo ; genus unde animantum
 12 concipitur, crescitque, sua et connubia jungit.
 13 Me miseram, quod et ipsa meis in me artibus usa
 14 ah nimium tenera, et pulchro nimis apta moveri,
 15 ut te conspexi, ut novi, pulcherrime rerum,
 16 continuo facibusque tuis, et Amoris amore
 17 exarsi. Juvat hoc, paribus si et tu ignibus ardes.
 18 Tolle, Puer, vittas, atque in me lumina solve,
 19 nempe et amabis Amor pulchram, cupiesque Cupido.
 20 Ipsa tibi tenuem, qua cingas tempora, vittam
 21 intertextam auro, et molli bombyce laboro :
 22 pictus ubi Narcissus hiat, Maeander oberrat
 23 hic ego te latas terras, atque alta volatu
 24 nubila tranantem fingo, et maria uda secantem :
 25 cuncta tibi imperio subdentem, hominesque, ferasque
 26 et pictas volucres, et, quae nant aequore, monstra.
 27 Diis quoque nec parcis ; curru rex Juppiter aureo
 28 invehitur, cinctus humeros et brachia ferro.
 29 Quos inter tua Psyche etiam religata catenis,
 30 it maerens, sequiturque tuos captiva triumphos.

CARMEN LYRICUM REPERTUM.

BACCHO CONCILIATORI

C_3 v.1 Mero madentes largo, et edacibus
 2 curis soluti, dum tibi candidam
 3 lucem, deorum, ducimus, optime
 4 Bacche, seu Dionysius
 5 mavis vocari, seu magis Evius,
 6 seu tu Lyaeus, seu Bromius magis,
 7 Liberve, Iacchusve, aut Semele satus
 8 et magni soboles Jovis ;
 9 adsis Bassareus, laetitiae dator,
 10 adsis ; furentes ast age Maenadas
 11 in juga crebris Indica tympanis
 12 resona, atque ululatibus.
 13 Lyncas nec acres advehe, neu gere
 14 thyrsos, venustum nec rege casside
 15 horrente vultum, sed tenero veni
 16 cinctus cornua pampino ;
 17 tuisque mitis et placidus sacris
 18 adesto, qualem te memorant, jugo
 19 Bactris subactis, in medio deum
 20 convivam Jove cum patre
 21 sedisse, circum diis resonantibus
 22 Evoe ; pharetra cum posita tuas
 23 laudes eburna grandiloquus lyra
 24 Latona cecinit satus.
 25 Ereptus igne ut fulmineo Jovis
 26 bis natus infans duceris ad deos,
 27 at tibi magnis plausibus omnium ad-
 28 -risit caelicolum cohors.
 29 Namque ore pulchro talis erat color,
 30 nitente qualis emicat in rosa.
 31 Et prominebat exsiliis
 32 Sacrum corniculis caput.
 33 Tyrrhenus ut te Navita deprecans
 34 sero, furoris numinis et tui
 35 expertus iras, squammeus in mare
 36 piscis desiliit rate.
 37 Tu pertinacem, Penthee, concitas
 38 matrem furentem ; quo fugis ah miser ?
 39 Te mater aprum, te Autonoe putans
 40 saeva dilaniat manu.
 41 Sensit Lycurgus vitibus impiam
 42 ausus bipennem immittere ; sensit et
 43 cohors Gigantum trudere jam rata
 44 alto Caelicolas polo.
 45 Tu Gange victo miles ab ultimis
 46 Indis triumphos victor io refers,
 47 et redeunti Susa et Achaemenes
 48 aras constituit tibi.
 49 Fremunt in altis orgia montibus
 50 Evoe ; solutae per juga Thyades
 51 crines in auras, raucisonis replent

52 altum cornibus aethera.
53 Salve, repertor magne meri pater,
54 mentesque nostras concilia, et procul
55 iras, et arma, et bella age in impios,
56 carentesque mero Scythas.